Qvænam? *Bon.* Heſterna. *Fab.* Qvid? non aderas? *Bon.* Immò aderam: ſed non poteram Magiſtrum dictantem aſſeqvi. *Fab.* Qvæ res te impediebat? *Bon.* Qvòd ſatis commodè non ſederem. *Fab.* Veneras ergò ſerius? *Bon.* Iſtud eſt. *Fab.* Cedo commentarium tuum. Egomet tibi ſcribam. *Bon.* Qvid faciam lucri? Ego citiùs qvàm tu deſcripſero. Pòſt ludemus unà, ut conceſſit Præceptor. Da (inqvam) libellum tuum. *Bon.* Libenter id qvidem facerem; ſed non audeo. *Fab.* Qvid times? *Bon.* Edictum Præceptoris. *Fab.* Qvod mihi edictum narras? *Bon.* Neſcis eum vetuiſſe, ne qvis ſine permiſſu ejus alteri ſcribat? *Fab.* Id ego probè memini: ſed unde hoc ſciet? *Bon.* Rogas? Qvùm emendandi cauſa ſcripturæ rationem exiget, tum captus ero. Novit enim manum meam. Præterea neqve fallendum eſt, neq; mentiendum. *F.* Verbo DEI utrumqve vetamur. *Bon.* Qvid ergò reſponderem Præceptori, qvùm ille negaret me iſta ſcripſiſſe. *Fab.* Non eò res evadet, ſpero. *Bon.* Nolo tua ſpe tantùm ſubire periculum. *Fab.* Vah, nimium timidus es: nunqvam rem facies. *Bon.* At tu forſitan audacior. *Fab.* Tu igitur ſcribe, qvantum voles: ego ad ludendum me confero. *Bon.* Abi qvæſo: Jam unam paginam deſcripſiſſem, niſi me interpellâſſes. *Fab.* At interim aliqvid proficimus, dum latinè fabulamur.

CO